

De obiecto formali supernaturalium actuum.

1. Conciliis Arausicano (DB 179 f) et Tridentino (DB 811-13) constat hominem sine gratia actum salutarem elicere non posse.

Quae necessitas gratiae est absoluta: scil. datur gratia non ad facilius posse sed ad simpliciter posse.

Inde a Conc. Tridentino inter omnes theologos sententia communis est ideo gratiam esse absolute necessariam quia actus salutares sunt entitative supernaturales.

2. Iam vero alia at ue ulterior quaestio poni solet, nempe, hi actus supernaturales se habeant ad obiecta sua formalia sicut actus naturales ad obiecta propria.

Cf. ST I 87: essentiam animae ex potentiis cognosci; potentias ex actibus cognosci; actus vero ex obiectis cognosci.

V.g., cur differt anima hominis ab anima beluina? quia intellectum habet et voluntatem liberam. Cur ponitur intellectus tamquam potentia specialis? Quia speciem actuum cognoscitivorum in conscientia invenimus. Quenam est illa species? Illa quae attingit quod quid est, verum.

3. huius vitae/ Qua in re duplex est sententia: Boyer p 84 ff; Lange p 212 ff
Alii docent actus supernaturales/sola sua entitate esse supernaturales

Distinguunt nempe inter entitatem actus et specificationem ab obiecto; asserunt actus duos, alium naturalem et alium supernaturalem, posse eandem prorsus specificationem habere.

Si dices: actum ab obiecto specificari, Respondent, Etiam, C, Tantum, N.

Et instant: si obiectum supernaturale est, indica nobis quanam sit ista supernaturalitas obiecti

Et arguunt: si obiectum supernaturale est, ex reflectione psychologica discernere possumus inter supernaturale et naturale; at non possumus.

Alii contra docent supernaturalem actum obiecto supernaturali respondere. Actus salutares sunt supernaturales. Ergo obiectum supernaturale est.

4. His consentimus.

Ita tamen ut ex obiecto supernaturali ad actum supernaturalem concludemus.

Dicimus absurdum est statuere novum in Xto hominem eo sensu esse novum propter entitatem simpliciter incognitam, per accidens vero et extrinsece cognitam quatenus hoc theologica ratione deducitur. Xtus est mortuus et praedicat ecclesia ut actus sint boni atque meritorii; quae bonitas est de se cognoscibilis, et non ig incognita quaedam perfectio entitativa.

Concedimus vero 1) quia obiectum est Deus uti in se est, ideo non perfecte intelligitur obiectum actus 2) quia analysis psychologica est difficillima (Kohleb, apes) et quia actus ordinarii ex habitibus dependent, non cuilibet potest supernaturalitatem actus discernere, 3) quia sui perscrutatio magis ex insecuritate sensitiva quam ex amore Dei obiectivo oritur, non cuilibet suadenda est haec analysis.